



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Exponitur, & resolvitur Controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

virtute divina potente se exercere, non solum destruendo, sed etiam conservando Paulum. Quare licet ex infidelitate inferetur arguitive in DEO defectus dominii, sicut & defectus Deitatis, siquidem inferitur, quod non est Deus ille, qui est infidelis in promissis, & quod non retineret virtutem essentialem fidelitatis, qui infidelitatis actum eliceret, ac proinde argueretur, quod non esset omnipotens, nec supremus Dominus; at non inferetur formaliter, quod non esset supremus Dominus, cum id non argueretur ex eo, quod ampliaret terminos propriae libertatis, aut alios restringeret.

564. Atque exinde plane deducitur, non posse Deum concedere creaturae jus proprietatis contra se

ipsum, sed simplicem usum facti; inde si Deus creaturae promitteret non revocare licentiam semel concessam, solum se obligaret ad id ex fidelitate, non vero ex iustitia commutativa; ad eum modum, quo Dominus, ut Dominus potest servo, ut tali, ex fidelitate promittere non exigere amplius ab ipso aliquid opus, quod quidem, ut Dominus non potest promittere ex iustitia; sic etiam Pontifex volens efficaciter retinere plena proprietatis jura circa bona Minorum, potest se obligare, ex fidelitate ad non revocandam licentiam illis concessam ad simplicem usum facti; at non potest in ea hypothese se obligare ex iustitia, ut late patet ex dictis.

DISPUTATIO XI.

DE DOMINIO CREATO PLENO SIMUL PENES DUOS.

SECTIO I.

Exponitur, & resolvitur Controversia.

565. **N**on procedit quaestio de dominio creato penes duos in eadem re ex potentia Dei absoluta, sed tantum ex natura rei; ratio est, quia, cum in nostris principiis Deus, quam optime possit eandem rem bifocare, & decernere, ut nunquam sit absque bilocatione; illa res perinde se haberet quoad dominium creatum, ac si essent duae res realiter distinctae; posset enim illa res sub una locatione per legitimam legem subjici potestati Petri directe, & primario in bonum suae libertatis, ut pro libito suo posset restringere moraliter libertatem alterius; posset autem sub altera locatione eodem modo subjici potestati Pauli; quo in casu potest etiam Deus decernere, ut non minus duret ea res cum illa bilocatione, ac si cum una sola locatione existeret sub unius tantum dominio, & quod non minus rem conservet sub uno, ac conservaret, si non esset sub altero; in hac enim hypothese, quae nullam contradictionem in principiis nostris includit, nulla assignari potest repugnantia, quod idem ager, eadem domus, idem equus cum tali bilocatione, & talibus circumstantiis posset esse sub duorum dominio; ita ut in eam rem duo haberent simul dominium creatum insolidum; caeterum cum ea hypothesis contingere non possit ex natura rei; quaerimus in praesenti, an penes duos dominium creatum insolidum possit simul componi. Controversia haec procedit quidem de dominio creato; nam si dominium unum sit divinum, & alterum creatum, nulla est implicancia, cum dominium creatum ex se non excludat; imò essentialiter supponat dominium Dei circa omnia creata, nec aliter sit dominium, nisi, ut

subiectum essentiali dominio

DEI.

* *

Anre resolutionem suppono, potestatem physicam expeditam ad acceperandum dominium, & jus proprietatis circa aliquam rem, non esse dominium formale, aut jus proprietatis in re; nam ut ex ipsis terminis patet, facultas expedita ad aliquid habendum, non est idem, ac res ipsa, quae haberi potest: qua de causa ea facultas in subiecto capaci, & expedito ad jus proprietatis, & dominium vocari solet à pluribus Theologis, non quidem jus, & dominium formale, sed tantum fundamentale; unde paritate rationis potestas physica ad abdicandum, seu tollendum in instanti A. dominium, non potest dici dominium formale in instanti A. potius, quam in subiecto capaci ad retinendum dicatur dominium fundamentale. Quamobrem Petrus, qui in instanti A. est Dominus equi, cum in instanti A. possit illum donare, vendere, & in eodem instanti transferre jus equi in Paulum, dum in instanti B. non consideretur cum carentia voluntatis translative juris in eo instanti, non potest dici habere in instanti B. dominium formale, sed tantum fundamentale.

Quod quidem plurimis exemplis facile explicari potest, illud enim, quod indifferens est ad hoc, ut conjungatur cum aliquo, vel cum negatione illius, distinguitur realiter ab illo; dominium autem fundamentale supra expostum, hoc est potestas ad acquirendum, vel retinendum dominium formale in instanti B. potest in eo instanti conjungi cum dominio formali, vel ejus negatione; nam si Petrus

Domi-

Dominus libri donet librum Paulo, Paulus in priori signo ante acceptationem habet potestatem expeditam ad acceptandum, & non acquirendū per acceptationem dominiū formale libri; hoc autem jus, si Paulus acceptet, conjungitur cum dominio formali libri, si non acceptet, conjungitur cum negatione dominiū formalis; unde dominium fundamentale potest conjungi cum dominio formali, vel cum ejus negatione; quod etiam patet in eo, qui emittit professionem Religiosam; nam in eo instanti, in quo per Religiosam professionem renunciat domino bonorum suorum, in signo priori habet potestatem expeditam ad emittendam professionem, & sic non retinendum dominium in eo instanti; unde si professionem non emittat, ea potestas conjungetur in eo instanti cum retentione dominiū formalis; si autem emittat professionem, illa potestas conjungetur in eo instanti cum negatione dominiū formalis: unde dominium radicale, vel fundamentale, seu potestas expedita ad retinendum dominium distinguitur realiter, & est separabilis à dominio formali.

568. Quod quidem explicatur hoc altero exemplo; nam aliud est habere potestatem expeditam ad acceptandum Pontificatum, & aliud esse formaliter Pontificem; siquidem ille, qui est electus in Pontificem, antequam acceptet Pontificatum, habet potestatem expeditam ad Pontificatum, sed non est formaliter, & actu Pontifex. Quare in instanti, in quo Pontificatum liberè acceptat, habet in signo priori potestatem expeditam ad Pontificatum, quæ potestas expedita, sive jus fundamentale, si accedat acceptatio, conjungetur in eo instanti cum Pontificatu exercitè habito; si verò electus nolit acceptare, conjungetur in eo instanti cum negatione Pontificatus exercitè habiti: proportionaliter in Pontifice; aliud est potestas expedita ad Pontificatum retinendum, & aliud est Pontificatum formaliter retinere; cum enim, ut statuitur Cap. *Quoniam aliqui de renunciatione in 6.* Pontifex possit per liberam renunciationem Pontificatum relinquere in eo instanti, in quo Pontifex est liberè expeditus ad renuntiandum, vel non renuntiandum, pro illo signo priori libertatis habet potestatem expeditam ad Pontificatum retinendum, & ad conjungendam illam cum Pontificatu formali, & in eodem signo libertatis habet etiam potestatem expeditam ad renuntiandum; unde si in eo instanti renuntiat, conjungetur ea potestas cum negatione Pontificatus formalis.

569. Idem apparet in materia prima in actu primo proximo expedita ad conservationem, vel exclusionem formæ; etenim pro illo signo priori non est verum dicere, quod detur forma; nec ejus expulsio, quamquam detur potestas expedita, ut conjungatur cum forma, vel cum exclusionem formæ; quod etiam uno verbo conspicitur in libertate ad quodcumque suum exerciti-

um liberum; nam signum prius libertatis est indifferentia ad utrumque; ac proinde nec est signum actus, neque signum omissionis, sed est signum potestatis ad utrumque. His positis prima sententia docet, non repugnare ex natura rei dominium creatum insolidum circa eandem rem penes duos in eodem instanti. Ita Cardinalis de Lugo disp. 3. de Incarnatione sect. 1. & disp. 3. de justitia, & jure sect. 2. Hurtadus Salmanticensis disp. 12. de Incarnatione s. 5. Arriaga tom. 1. in primam partem disp. 3. sect. 5. & alii pauci, quos sequitur Muniella in Opuscul. de justitia Dei sect. 6. Secunda sententia docet, tale dominium repugnare ex natura rei; ita communiter Theologi, quos sequuntur Reinaldus disp. 83. de Ente supernat. à num. 29. Bernal. disp. 9. de Incarnatione sect. 3. à num. 41. Elparza disp. 49. de justitia, & jure, & Maurus quæst. 166. quod etiam docent omnes Jurisconsulti; hanc sententiam veram censeo. Quare

570. Affero cum secunda; Dominium creatum plenum, & insolidum circa eandem rem repugnat simul in eodem instanti penes duos. Probat 1. Ad dominium requiritur legitima potestas directè, & primariò in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, ut constat à num. 179. atqui talis potestas nequit dari ex natura rei insolidum penes duos circa eandem rem in eodem instanti; ergo &c. Probat 2. min. Eo ipso, quod Petrus habeat eam legitimam potestatem circa librum suum, potest pro suo libito moraliter restringere libertatem aliorum, ne eo libro utantur, & potest librum illum moraliter pro libito suo destruere absque injuria alterius; atqui si alter habeat dominium insolidum circa eundem librum, non potest Petrus librum illum pro suo arbitrio moraliter destruere absque injuria alterius, ut ex terminis patet; ergo &c. Confirmatur. Ut aliquis possit licitè uti libro in hoc instanti ex jure suo destruendo, alienando, auctoritative agendo utcumque voluerit, requiritur, quod liber ille non sit alterius; si enim esset alterius, ea libri destructio non esset licita, sed illicita, cum esset contra jus alterius; ergo ut aliquis habeat dominium creatum plenum, & perfectum circa librum, requiritur, quod ex natura rei nullus habeat dominium creatum circa eundem; ac proinde dominium illud penes duos in eodem instanti omnino repugnat.

571. Probat 2. destruyendo Adversariorum fundamentum, si in aliquo casu posset componi tale dominium insolidum penes duos maximè in instanti donationis, aut acceptationis, nempe quando Petrus donat librum Paulo, & Paulus acceptat; atqui in eo instanti solus Paulus, qui acceptat, habet dominium formale; Petrus autem, qui donat, non habet nisi radicale, & fundamentale; ergo nullus est assignabilis casus, in quo possit dari tale dominium creatum insolidum penes duos. Probat 3. min. Petrus

donans librum in eo instanti, dicit implicite, & postea dicit explicite, ego abjicio dominium libri, nolo ut sit meus, totum meum jus in te transfero, & à me integrum jus ab dico; quæ quidem locutiones, cum sint practicae, & veræ, hunc effectum inducunt; ergo in eo instanti non manet dominium formale in Petro donatore. Confirmatur. Cessante causa conservante statim perit effectus; atqui dominium formale conservatur in Domino per carentiam voluntatis abdicantis, destruentis, vel transferentis in alterum tale dominium; ergo in eo instanti, in quo excluditur illa carentia ab aliquo subjecto, eo ipso ab illo excluditur dominium formale; atqui in instanti ipso donationis, & translationis domini cessat illa carentia; ergo in illo instanti non remanet in Petro donatore dominium formale.

572. Probatur 3. Si Deus alligaret dominium libri lapidi, ita nempe, ut qui haberet lapidem, haberet eo ipso dominium libri, & non alter, & daret mihi potestatem transferendi lapidem ad alterum in instanti, in quo transferrem lapidem ad te, esset dominium in te, & non in me, ac proinde bene intelligitur, quomodo ego tunc liberè donarem librum cum potestate non donandi, quia tamen pro eo instanti essem Dominus, eò quòd in eo instanti non possem sine injuria donatarii, qui librum acceptavit, illum destruere, vel retinere, auctoritative eo uti quomodocunque voluero; ergo ex potestate non donandi, quam habet donator, non bene inferitur, quòd remaneat in donatore dominium formale pro instanti physico donationis, sed solum potest inferri, quòd maneat duntaxat penes donatarium. Confirmatur. Si ea potestas retinendi dominium, quando dono, sufficit, ut sit apud me dominium formale, sequitur, quòd in instanti, quo aliquis donat, & alter non acceptat, potens tamen pro libito acceptare, iste alter esset Dominus rei; siquidem quamvis non acceptet rem, ut suam, habet tamen facultatem acceptandi rem, ejusque dominium; atqui is, qui non acceptat, non habet in eo instanti dominium formale, quamvis habeat potestatem illam proximam acceptandi, sive dominium fundamentale, & radicale; ergo eodem modo ille, qui donat, non habet in eodem instanti dominium formale, quamvis habeat illam potestatem ad non donandum, sive dominium fundamentale.

573. Probatur 4. Quamdiu res est sub dominio alicujus, est illi obstricta in commodum suæ libertatis vi legis conferentis dominium; ita ut debeat sequi res illa Dominum, & possideri ab illo, cui ita obstricta est; atqui in instanti donationis liber non est obstrictus donatori, sed donatario, cum possessio illius debeat soli donatario; ergo non potest esse dominium infolidum penes duos, sed tantum penes donatarium. Confirmatur 1. Translatio domini, utpote destructiva domini in donatore, non est actus domini, cum nullus actus destruat po-

tentiam, cujus est actus; ergo vi donationis non potest manere ex natura rei dominium penes donatorem, ac proinde solum potest manere penes unum, nempe donatarium. Confirmatur 2. ex absurdis, quæ ex contraria sententia sequuntur: primum est, quòd si rem, quam unus donat alteri, in hoc instanti alius tertius furaretur, teneretur tantundem utrique restituere in solidum; siquidem res est in solidum utriusque. Secundum in instanti, quo Petrus v. g. dat servo libertatem, adhuc esset Dominus, cum tamen alter jam non sit servus, sed liber; siquidem tunc accipit libertatem; tertium, quòd si aliquis donat pecuniam, adhuc est Dominus pecuniæ, quæ donat in hoc instanti, donatarij aliunde debens donatori tantundem cum sit etiam Dominus pecuniæ, tunc acceptare possit, & illam solvere ex justitia pro illo alio debito, & tamen solveret ex bonis creditoris, siquidem pecunia adhuc in eo instanti esset donantis, qui est creditor, & cui donatarius debet ex justitia; sed hæc absurda admitti non possunt; ergo &c.

Probatur 5. Si possit ex natura rei componi dominium infolidum circa eandem rem penes duos in eodem instanti, possit etiam componi per longum tempus; illa enim, quæ ex natura rei sui simultatem non excludunt, non est, cur non possint esse simul pro sequenti instanti, & sic de aliis; atqui tale dominium penes duos circa eandem rem non potest componi ex natura rei per longum tempus; ergo neque componi potest pro eodem instanti. Probatur minor; quia si per longum tempus componi possit, reverà daretur bellum ex utraque parte justum, & torus Mundus plenus esset litigiis, nec possit justa sententia ferri; non enim possit eadem res cum dominio infolidum duobus adjudicari, unde uterque litigans conferretur læsus, & occultam compensationem justè quæreret, & unus contra alium justè ageret, quæ certè absurda sunt: ergo &c.

Confirm. 1. ex L. sicut certo modo, §. 15. si duobus, ff. commodati: si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul, Celsus Filius scripsit lib. 6. ff. quæri posse, utrum unusquisque eorum infolidum, an pro parte teneatur, & ait, duorum quidem infolidum dominium, vel possessionem esse non posse, ex quo modo statuendi colligitur, non negari dominium infolidum, eò quòd à lege non conferatur; sed quia conferri non potest; ergo res ipsa repugnat. Confirmatur. 2. Si possit ex natura rei simul dari dominium infolidum circa eandem rem penes duos, possit unus ex illis utpote plene Dominus rei, illam vendere alteri; sed hoc omnino repugnat; siquidem nemo potest contra utilitatem alterius plene Domini rem pro libito suo vendere, ut ipsum rationis lumen ostendit; & constat ex L. L. scellionatu, damnantibus vendentem uni emptori rem alteri obligatam, ff. de crimine scellionatus inlu.

insuper posset unus ex duobus Dominis rem alteri Domino vendere, ac proinde iste posset emere rem suam, quod est contra jus, ut dixi ex Jure Civilem. 459. & etiam statuitur L. nemo rem suam, ff. de verborum significat. & late videri potest apud Molinam disp. 329. ergo &c.

576. Probat 6. Implicat in terminis, quod existat formalis ratio donandi alteri, quin actualiter donetur res, ad quam actualiter ratio formalis terminatur; sicut in terminis implicat, quod existat actualiter ratio formalis producendi terminum, & quod terminus non producatur, vel quod actualiter existat unio, quin in eodem signo extrema uniantur, eod quod actio sit ratio formalis producendi, & unio sit ratio formalis uniendo; atqui donatio actualis est ratio formalis donandi actualiter, siquidem inexcogitabilis est alia ratio formalis donandi actualiter, nisi ipsa actualis donatio; sicut inexcogitabilis est alia ratio formalis agendi actualiter, nisi ipsa actualis actio, aut alia ratio formalis uniendo, nisi ipsa actualis unio; ergo in ipso donationis instanti, in quo Petrus plenè donat rem Paulo, res illa est plenè donata Paulo, ac proinde dominium plenum illius rei manet penes Paulum donatarium, & deficit penes Petrum donantem.

577. Confirmatur exemplis apud omnes certissimis; primò quidem ex eo, quod matrimonii contractus ultro, citroque obliget ex justitia utrumque; conjuge, repugnat omnino, quod in eo instanti, in quo perficitur matrimonii contractus, non acquirat uterque conjux in alterius corpore dominium, & verificentur illæ propositiones ab Apostolo traditæ 1. ad Corinthios 7. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, & proinde in ipso instanti contracti matrimonii dominium viri est penes uxorem, & dominium uxoris est penes virum, ita ut si alter conjux moreretur in instanti sequenti, esset jam inductum impedimentum dirimens; ne conjux superstes posset inire matrimonium cum consanguineis mortui usque ad quartum gradum; tum etiam, si in instanti validi contractus matrimonii alter conjux desideraret turpiter non conjugem, esset quidem tale desiderium in specie adulterii.

578. Secundo id ipsum patet in penitente, qui etiã in ipso Absolutionis instanti est verè Sacramentaliter absolutus, & gratiam recipit, ita ut si in instanti sequenti moreretur, obtineret salutem æternam. Tertio id ipsum patet in baptizato, vel Ordinato, siquidem in ipso instanti, in quo datur Baptismus Petro, & Petrus manet baptizatus, & in eo instanti, in quo datur Petro Sacerdotalis Ordo, manet Sacerdos, ita ut si in instanti immediatè sequenti moreretur, esset verum dicere, mortuus est baptizatus, mortuus est Sacerdos; ergo etiam

in eo ipso instanti, in quo fit plena donatio, manet res plenè donata, ac proinde nullum dominium formale illius manet in eo instanti apud donatorem, sed totum residet penes donatarium. Hæc omnia clariùs intelligentur expendendò, & rejiciendò responsiones plurimas, quas Adversarii hucusque excogitarunt. Pro quo fit

SECTIO II.

Proponuntur, & rejiciuntur Adversariorum Responsiones.

579. **R**espond. 1. in ipso donationis instanti donatarium esse plenè Dominum, sed non solitarium, cum ipse donans retineat etiam in eo instanti plenum rei dominium; ad eum modum, quo juxta nos in eo instanti componitur simul in donatore, & donatario dominium fundamentale, quatenus donans habet potestatem expeditam ad donandum, & donatarius habet etiam potestatem expeditam ad acquirendum; unde si non repugnat eodem instanti dominium fundamentale circa eandem rem penes duos, non est, cur repugnet ex natura rei dominium plenum formale.

580. **C**ontrà 1. Dominium fundamentale in donatore respicit suum peculiarem terminum, qui plenè manet sub illius potestate, & non sub potestate donatarii, & dominium fundamentale donatarii respicit etiam suum peculiarem terminum, qui plenè manet sub illius potestate, & non sub potestate donantis: etenim dominium fundamentale in donante respicit ablationem domini, ad quam non donatarius, sed donans ipse est immediatè liber, & dominium fundamentale in donatario respicit acceptationem domini, ad quam non est immediatè liber donans, sed ipse donatarius; unde unusquisque ex illis potest pro libito suo ex natura rei sine injuria alterius se exercere circa terminum sui domini fundamentalis, ita ut donans sit plenè potens offerre, & non offerre alteri dominium, & oblatò dominiò donatarius sit plenè potens ex natura rei acceptare, vel non acceptare; loquitur enim, quando in donatario requiritur acceptatio ad acquirendum formale dominium, quia totum Adversariorum fundamentum hanc unam hypothesein respicit; nam si acceptatio non requiratur, nulla manet difficultas, cum donatarius verè passivè se habeat, & tota libertas resideat tunc penes donantem solum, in quo excogitabilis est repugnantia ex natura rei; atqui ex natura rei componi non potest facultas duplicis creati domini pleni in duobus, quandoquidem terminus formalissimus domini pleni non esset diversus, sed idem respectu utriusque, & unusquisque pro suo libito plenè possit de eo disponere, ut ex ipsa definitione domini formalis pleni constat à nu. 345. ergo